



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. I. Prima pars quæsitæ triplici conclusione resolvitur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

ARTICULUS III.

Quid sit presentia sacramentalis corporis Christi in Eucharistia, & ad quod prædicamentum pertineat?

DE fide certum est, corpus Christi verè, realiter, & substantialiter, post consecrationem esse præsens sub speciebus; ut definit Tridentinum sess. 13. cap. 1. & nos supra disputatione proximali pluribus Scripturæ, Conciliorum, & SS. Patrum testimoniis, contra Calvinistas ostendimus. Verum quid sit hæc presentia sacramentalis, & ad quod prædicamentum pertineat, difficile explicari potest, unde circa hoc varia sunt Authorum placita. Aliqui enim asserunt, talem presentiam esse relatione extrinsecus advenientem, ex eo quod totum illius esse est ad aliud se habere, scilicet contineri à speciebus. Ita Scotus & eius Discipuli. Alii censent presentiam sacramentalem esse actionem reproductentem corpus Christi sub speciebus. Alii volunt esse actionem quam Christi corpus exercet in specie ut instrumentum physicum divinitatis, eas conservando, & in suo esse continendo; existimant enim talem presentiam esse similem illi quam Angelus habet ad corpora, quæ formaliter consistit in actione, qua Angelus continet corpora. Ita docent quidam Recentiores, quos, suppresso nomine, citant Suarez, & Nunno. Alii, ut Suarez, & Aravius, dicunt presentiam illam esse modum quandam accidentalem, ad prædicamentum ubi reducendum. Denique Nunno, & alii Recentiores Thomistæ, concedunt quidem talem presentiam esse modum quandam corpori Christi superadditum, sed asserunt illum non esse accidentalem, sed substantialem, subindeque reductivè pertinere ad prædicamentum substantiæ, non verò ad prædicamentum ubi.

§. I.

Prima pars quæstionis triplici conclusione resolvitur.

Dico primo presentia sacramentalis non est formaliter relatio. 47.

Conclusio est omnino certa, Tum quia effectus formalis relationis non est reddere subjctum in quo est, præsens alicui, sed relatum & dicens ordinem ad illud. Tum etiam, quia cum omnis relatio præsupponat aliquod fundamentum, relatio propinquitatis & presentiam quam dicit corpus Christi ad species, aliquod fundamentum in ipso supponere debet, quod non potest esse aliud quam ipse modus presentiam; unde licet presentia sacramentalis sit fundamentum relationis propinquitatis & presentiam corporis Christi ad species, non est tamen formaliter ipsa relatio. Sicut licet presentia localis, quam idem corpus Christi habet in celo, importet relationem propinquitatis & indistantiam corporis Christi ad cælum, in ea tamen relatione formaliter non consistit, sed in Ubi, quod in eo resultat ex circumscriptione seu circumadjectentia loci.

Dico secundò corpus Christi non fieri formaliter præsens speciebus Eucharisticis, per conversionem substantiam panis in ipsum vel per actionem aliquam qua conservat species sacramentales, & eas in suo esse continet.

Prima pars patet, quia effectus formalis actionis productivè non est constituere terminum loco, sed solum communicare illi esse. Ergo licet actio

I i jii con.

A cum altera mediate continuante; & cum illa linea, vel superficie, non magis sit unitus medietatis, quam alterius, sequitur ex nostra doctrina, quod sub illa linea, vel superficie, existant simul corpus Christi & substantia panis: Consequens autem non potest admitti, alias corpus Christi non esset sub illa linea, vel superficie, per transubstantiationem: Ergo &c.

Respondeo negando sequelam, in illo enim casu substantia panis desineret esse sub superficie illa sive linea consecrata, & consequenter medietas hostiæ consecrata non foret amplius continua, sed contigua solum medietati non consecrate, quamvis appareret ipsi continua; eo ferè modo quo medietas rami arida & mortua, alteri viridi & vivæ conjuncta, ad sensum apparet ipsi continua, cum tamen re vera solum sit ei contigua.

Objicies ultimo, si corpus Christi sub quolibet indivisibili hostiæ consecrate cõtineatur, sequitur quod facta divisione hostiæ consecrate, corpus Christi incipiat de novo existere ubi antea non erat, idque absque nova consecratione: At hoc non videtur admittendum: Ergo nec illud. Sequela probatur: Quando dividitur hostia in duas partes, ex tali divisione producuntur puncta lineæ, & superficies, de novo illas duas medietates hostiæ terminantes: Ergo si totum Christi corpus existat sub quolibet indivisibili hostiæ consecrate, facta illius divisione, erit de novo, ubi antea non erat, absque nova consecratione.

Quidam ex nostris Thomistis, ut ab hac difficultate facilius se expediant, negant sequelam Majoris, & ad eius probationem dicunt, doctrinam nostram ultimæ conclusionis intelligendam esse solum de illis indivisibilibus quæ aderant, dum facta fuit consecratio, non vero de aliis quæ ad partium divisionem postea resultant. Quare docent divisa hostia in duas medietates, corpus Christi non existere sub illis punctis, lineis, & superficiebus, quibus de novo terminantur illæ duæ medietates hostiæ consecrate. Alii vero dicunt, quod licet per solum divisionem, sine nova consecratione, non possit corpus Christi per se primo incipere esse ubi antea non erat, bene tamen consecutivè, sive per naturalem resultantiam.

Sed melius responderi potest, negando sequelam Majoris, & Antecedens probationis illius: nam per divisionem hostiæ non producuntur de novo in ea aliqua indivisibilia, sed ea solum quæ ante fractionem hostiæ actu continuabant partes illius, & eas terminabant solum in potentia, sunt actu terminatæ partes quæ de novo per divisionem resultant. Unde cum corpus Christi, ex vi prioris consecrationis, esset sub omnibus indivisibilibus quæ partes hostiæ continuabant, non sequitur quod per divisionem hostiæ consecrate, incipiat de novo existere in aliquibus indivisibilibus in quibus antea non erat, idque absque nova consecratione, sed solum quod cum ante divisionem hostiæ consecrate esset in indivisibilibus ut continuantibus partes illius, postea existat in eisdem indivisibilibus, ut terminantibus partes quæ per divisionem hostiæ consecrate resultant.

conversiva substantiæ panis in corpus Christi, det illi esse sacramentale sub speciebus, non tamen est ipsa præsentia sacramentalis, sed solum causa & fundamentum illius.

49 Secunda verò pars suadet. Corpus Christi cum sit ex se divisibile, ut constituitur positivè indivisibiliter sub speciebus, constitui debet per aliquid in se receptum: Sed actio instrumentalis quæ corpus Christi conservat species sacramentales, & eas in suo esse continet, cum sit transiens, non est in corpore Christi, sed in passio, scilicet speciebus quæ conservantur: Ergo per illam corpus Christi non potest constitui formaliter præsens speciebus Eucharisticis. Præterquam quod valde incertum est, an corpus Christi assumatur à Deo ut instrumentum ad conservandas tales species.

Dico tertio præsentiam sacramentalem corporis Christi sub speciebus, esse modum aliquem additum corpori Christi, supernaturalem quoad substantiam.

50 Probatur prima pars. Corpus Christi esse indivisibiliter præsens sub speciebus, est effectus realis de novo in ipso corpore, qui antea non erat: Ergo debet provenire ab aliqua forma illi addita: Non realiter distincta, quia necessaria non est: Ergo modaliter tantum. Antecedens est certum primaverò consequentia in qua solum potest esse difficultas, ex eo probatur quod impossibile sit aliquid alio modo se habere nunc quam antea, nisi per aliquam sui mutationem, subindeque per alicujus entitatis vel modi receptionem.

51 Secunda verò pars, quæ asserit modum illum præsentiam sacramentalem, substantiæ Christi superadditum, esse supernaturalem quoad substantiam, patet. Tum quia nulli substantiæ creatæ vel creabili potest esse connaturalis. Tum etiam quia est modus substantiæ corporeæ & quantitativæ, & tamen facit existere corpus Christi indivisibiliter. Adde quod est modus resultans ad actionem maximè supernaturalem, nempe transubstantionem, & est quedam in nitatio & participatio divinæ immensitatis; quia sicut Deus, ratione suæ immensitatis, nullo loco definitur aut limitatur; ita corpus Christi per præsentiam sacramentalem, ita est in una hostia & in uno altari, quod non definitur & limitatur ut non fit in aliis, quin potius in infinitis. y. categorèmaricè reperiri potest, cum virtus Dei convertentis panem in ipsum, infinita sit.

§. II.

Alia difficultas expeditur.

Dico quartò, modum præsentiam sacramentalis quem Christus habet sub speciebus Eucharisticis, non esse accidentalem, sed substantialem, subindeque ad prædicamentum substantiæ reductivè pertinere.

52 Probatur primò. Ille modus est substantialis qui habet effectum substantialem: Sed modus iste habet effectum substantialem: Ergo substantialis est. Major constat, quia effectus formalis est ipsa forma, ut communicata subjecto. Minor autem probatur. Existere substantialiter, seu modo substantiali, eo nimirum quo substantia postulat existere, est effectus substantialis: Sed per istum modum corpus Christi existit modo substantiali: Ergo ille effectus substantialem habet. Major probatur, Tum quia modus exi-

A stendi debet proportionari rei existentis, & hinc Ergo modus existendi accidentium est accidentialis. Tum etiam, quia quod prævenit omni accidentia non potest non esse substantiale: Sed modus ille quo substantia existit sub dimensionibus prævenit omnia accidentia, cum præveniat ipsa quantitas, eò quod à nobis concipiamur medium inter substantiam & quantitatem, & ipsa quantitas, utpote prima passio substantiæ corporeæ, & ratio recipiendialis accidentia illi conveniat: Ergo &c. Minor verò docetur confirmari à Theologo cum D. Thoma hic art. 4. sic sicat: Corpus Christi non est in hoc sacramento sicut in loco, sed per modum substantiæ, sicut licet modo quo substantia continetur à dimensionibus: succedit enim substantia corporis Christi in hoc sacramento substantia panis; unde substantia panis non erat sub sui dimensionibus localiter, sed per modum substantiæ, ita nec substantia corporis Christi. Ratio etiam suffragatur. Nam esse ad modum substantiæ, est esse totum sub tota quantitate, & totum sub qualibet parte: Sed corpus Christi est totum sub tota quantitate panis & totum sub qualibet ejus parte: Ergo est sub illa per modum substantiæ.

Probatur secundò conclusio: Præsentia sacramentalis corporis Christi sub speciebus, non pertinet ad prædicamentum ubi: Ergo reductivè ad prædicamentum substantiæ. Consequentia patet, cum enim talis præsentia non pertinet ad prædicamentum relationis, vel actionis, ut præcedenti ostensum est, nec superfit aliquid prædicamentum ad quod possit reduci, præter substantiam, vel ubi, si non pertineat ad prædicamentum ubi, manifestum est quod debet referri ad prædicamentum substantiæ. Antecedens ergo in quo est tota difficultas probatur, Tum quia supremum genus prædicamenti ubi, est ubi circumscriptivum, ut ex definitione Gilberti colligitur, Sed præsentia sacramentalis non est quod ubi circumscriptivum, ut de fide certum est. Ergo non continetur sub prædicamento non pertinet quicumque modus præsentiam, sed ille tantum ratione cujus res denominatur existens in loco: Sed ratione præsentiam sacramentalis corpus Christi non potest dici esse in loco: Ergo talis præsentia ad prædicamentum ubi non pertinet. Major est evidens, quia neque præsentia quæ duo corpora divinitus sese penetrantia, denominatur ubi ubi mutò præsentiam, est ubi, neque illa quæ materia denominatur præsens formæ, vel forma materiæ, neque ea quæ accidens denominatur præsens subjecto cui inhaeret, aut Angelus corpori circumscriptivum, ut ostendimus in Tractatu de Angelis disputatione 4 art. 1. §. 3. Minor verò est D. Thomæ articulo supra citato, ubi expressè dicit corpus Christi non esse in hoc sacramento tanquam in loco, & nullo modo hic existere localiter. Ratio etiam id suadet: Duplex enim tantum est modus essendi in loco, circumscriptivus scilicet, & definitivus: Sed neutro ex his modis corpus Christi est sub speciebus: non quidem primò, quia est totum sub tota hostia, & totum sub qualibet parte; nec etiam secundò, quia quod est definitivè in aliquo loco ita est in illo ut non sit alibi: Sed Corpus Christi non ita est sub una hostia, ut non possit esse simul sub aliis: Ergo non est in una hostia definitivè. Unde Sanctus Doctor eodem articulo